

DISSESTITO INAUGURALIS MEDICA
THEORETICO-PRACTICA,

D E

DYSENTERIA
EPIDEMIA QUASI PANONICA,
TURBULENTA EMPIRICORUM CURA, FERE CON-
TAGIOSA ET MALIGNA, SUPERIORI ANNO
VICINA DEVASTANTE LOCA,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosae Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E

DN. D. MICHAEL ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,

DECANO H. T. S P E C T A T I S S I M O ,

Domino Patrono, Preceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo

P R O L I C E N T I A

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
ANNO MDCCXLVII. D. DECEMBR.

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

A U C T O R

CHRISTOPHORUS WEBERUS,

BISCHOFFSW. MISN. MED. PRACT. PULSNIZ.

H A L Æ M A G D E B U R G I C Æ ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ДИСТАРИАЛАНСИИ ЛИ МИЛЛЕ

ТИГЕЛЕСО ПРИЧЕВ

ПУБЛИКАЦИЯ

СОВЕТСКОГО СОЮЗА ПО ИССЛЕДОВАНИЮ
СОВЕТСКОЙ АРХИТЕКТУРЫ И ГИСТОРИИ
СОВЕТСКОГО СОЮЗА ПО ИССЛЕДОВАНИЮ
СОВЕТСКОЙ АРХИТЕКТУРЫ И ГИСТОРИИ

ДИСТАРИАЛАНСИИ ЛИ МИЛЛЕ

СОВЕТСКОГО СОЮЗА ПО ИССЛЕДОВАНИЮ
СОВЕТСКОЙ АРХИТЕКТУРЫ И ГИСТОРИИ

VIRIS
ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLEN-
TISSIMIS DOMINIS
DOMINO
GOTTLOB FRIDERICO

S. R. I. COMITI
A GERSDORF,
POTENTISSIMI REGIS POLONIAE ET ELECTO-
RIS SAXONIAE CONSILIARIO ATQUE MINISTRO
STATUS INTIMO ORDINARIO,
DYNASTÆ IN BARUTH, BUCHWALDE, RACKEL, KEM-
NIZ, CREBA, MICKE ET HAUSWALDA,

PATRONO
LITERARUM LITERATORUMQVE
COMMUNI,

DOMINO
FRIDERICO CASPARO
S. R. I. COMITE
A GERSDORF,

DYNASTÆ IN KAUPA, KLIX, LEICHEN, UJEST,
ET TEUCHNIZ, CET.

SACR. REG. MAJEST. SARMATARUM ET SA-
XONIÆ ELECTORIS CONSILIARIO INTIMO ATQUE
MARCHIONATUS SUPERIORIS LUSATIÆ PRÆFE-
CTURÆ SUPERIORIS DIGNISSIMO PRÆFECTO

DOMINIS
PATRONIS AC MÆCENATIBUS SUIS

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

IN DEVOTI ANIMI TESSERAM

HUMILLIME

DAT, DICAT, DEDICAT

AUTOR.



PROOEMIUM.



Uum de Dysenteria epidemia
quasi pannonica agere mihi sit
animus, prius etiam de singula-
ribus aëris, tellurem ubique am-
bientis, affectionibus, præcipue
autem de ejus qualitate elas-
tica atque expansiva, quæ maxime in
barometris & thermometris &
in rebus, ex quibus aër extractus, vel compressus
est, apparet, non nihil præmittere lubet. Hoc, præ
cæteris testantur experimenta, non solum cum ve-
fica madida; sed & cum brutis animalibus sub ant-
lia, quam vocant pneumaticam, instituta. Quodsi
itaque aër externus, summa elasticitate donatus,
subtrahatur corporibus, internus ille, qui est in san-
guine & succis, supra modum se expandit, & reci-
procam cordis & vasorum systolen, impedit; hinc
mox cessat sanguinis circulus, & cum eo vita.

Præterea, quod sine respiratione, quæ in reci-
proca aëris in- & exspiratione cum pulmonibus consi-

stis, nullum animal perfecte vivere possit, & quod hæc ipsa cum vitali cordis motu, pari ambulet paſſu. Hæc ratio est, quia sine admisso elasticō aëre, in pulmonum cellularē substantiam, admodum videlicet vascularem & vesicularem, sanguis a dextro cordis ventriculo, non potest ad sinistrum redire. Si vero affluxus sanguinis, qui allicit ejus diastolen, deficit, necesse est, ut ejus etiam systoles & impulsus sanguinis ad arterias cesseret & consequenter circulus sanguinis & vita. Promovetur vero sanguinis cursus per pulmones ad sinistrum cordis thalamum, per respirationem, cum inspirato aëre elasticō, vasa sanguinea a calore sanguinis nimis expansa, comprimuntur, & simul etiam ipsa vasa sanguinea, minima & innumerabilia, ex quibus pulmo compositus est, explicantur, hinc sit, ut sanguis ex arteria pulmonali, ex qua non potest redire, propter valvulas, ad dextrum ventriculum, transeat per pulmones in venam pulmonalem & sinistrum ventriculum. Quam utile denique ad vitales motus, systolem nempe & diastolen, solidorum & circuitum sanguinis atque humorum, moderandos, atque in debita proportione & æqualitate conservandos, aëris fluidum temperatum & elastica vi præditum, est, quod non modo per cibum & potum, sed per nares, fauces, & asperam arteriam, atque fere per substantiam cutis porosam & tubulofam ad solidas & fluidas partes, intus penetrat; tam infensum est quoque illud ipsum vitæ & sanitati, invertendo motus ordinatos, si illud ipsum defleceret a sua tempe.

temperie i.e. si, vel nimia humiditate, calore aut fri-
gore excedit, vel etiam, si nimis leve & rarefactum,
vel nimis compressum & grave est, vel, si nimis
exhalationibus & vaporibus pravæ indolis, reple-
tum, vim suam elasticam fere penitus, amittit, ut ad
vitam & respirationem tuendam, plane fiat inutile.
Et si quidem rerum corporearum vires & proprie-
ties non sint absolutæ, sed semper relatione corpo-
rum in quibus operationem, exercent, nitantur, ad-
eoque pro diversitate corporum quodammodo va-
rient; tamen, quod attinet ad aëris & ætheris flu-
dum longe efficacissimum & penetrantissimum, ejus-
que operationem & actionem, in corpora humana,
id ipsum, præ aliis rebus corporeis, quandam, hac
in re, possidet prærogativam, ut non tam facile ejus
virtus immutetur: Calor enim utpl. agit rarefacien-
do & expandendo solida & fluida, cum frigus hæc ipsa
condenseret & comprimat, aër, propter exhalationem,
præfertim sulphurearum materiarum copiam, ut fu-
mi sulphuris, carbonum & fermentescibilis musti, e-
lasticitate congrua privatus, ad respirationem, sub ni-
mia aëris rarefactione, inutilis, homines atque ani-
mantia necat. Quales in macrocosmo ex vario &
mutato athmosphæræ fluido, proveniant mutatio-
nes, diversa ventorum, pluviarum & nebularum
genera testantur: Talis etiam in microcosmo cor-
porum ad morbos dispositio, inde veniat, vel ipsi
morbi, qui certis anni temporibus, certis tempe-
statum constitutionibus, ex certis locis & regioni-
bus quasi proprii & valde familiares sunt, quorum
cata-

catalogum gravissimus & antiquissimus auct^{or} H. I. P.
POCRATES peculiaribus Aphorismis, *Sect. III.*
quam optime complexus est; præcipue autem DY-
SENTERIA EPIDEMIA, superiori anno, hæc, ubi
commoror, vicina devastans loca, est testis; Id mihi
præaliis videbatur singulare, quod insolito tempore,
ex tam frequenti atque subitanea aëris & atmosphæ-
ræ mutatione, caperet initium; deinde, quod plerum-
que locis in declivioribus, magna aquarum affluentia,
circundatis, egerit radices, & denique, quod cir-
ca finem mensum Maji, Junii, Julii ac Augusti,
ferventissimo, continuo sub Euronothi flatu, exi-
stente calore, incrementum sumeret.

CAsum, quem Nobilissimus Candidatus, Medi-
cinæ Præticius Gross-Rersdorf, JOHANNES
GOTTLIEB VOGELIUS, eodem de Affectu,
in Dissertatione inaugurali, *de Dysenteria epide-
mica*, maxime contagiosa & maligna, superio-
ri anno, patriam devstante, Vitebergæ, die 26. Maii,
anno MDCCXLVII. communicavit, adjicere & adnotatio-
nibus illustrare libet.

CASUS.

CUM primo anni præteriti Vere, mense scilicet Mar-
tio, tempestas turbida, cum nebulis frequentibus,
urget, non poterat non fieri, quin catarrhi, aliquie
varii generis morbi affligerent, subsequebatur præcipue
Mense Aprili & Majo,* quædam dysenteria, at levior,

* Febres catarrhales, ob celerem & subitaneam aëris & atmosphæ-

neque

neque adeo contagiosa & lethalis, quam illa, de qua in præsenti agere animus est, quamque vix aliquibus adhibitis, ægroti superabant, medicamentis. At enim vero medio mensis Junii, cum tempore matutino Radebergam ire amarem, statim in vicinia Lusatiae superioris, haud procul a domicilio nostro, oriebatur ad solis exortum, vapor crassus, densus, fetidus & varie coloratus, fumi instar congregati apparens, qui me per dimidiâm pagi patrii partem, per quam iter faciendum erat, comitabatur. Cum ego ad templum accederem, in medio, scilicet constitutum, in nebulam ad dextram, rura sylvasque propinquas petentem mihique valedicentem. Petebam quidem Radebergam, tanta tamen * cum lassitudine totius corporis, ut vix inde domum reverti licuerit. Domum reversus, adhibito ad profligandum hostem, antidoto, per has septem hebdomadas, Deo volente, incolumis mansi. Reliquorum quæ fors fuerit, misera videamus. A mente enim Julio ad Octobrem usque dysenteria grassabatur, notæ ** malignæ, quæ non procul ab habitaculo nostro,

B

in

mosphæræ mutationem, relinquebant, post se diarrhæas & dysenteriam albam.

* Argumenta enim a sensibus tam internis quam externis defumta, contra quæ sexcenties causarum in contrarium allegari possint, sæpe vacillant.

Veritas, quod sit nebula unica hujus mali causa, prius est demonstranda, quam Lector etiam humillima petitione §. 8. alleg. Diff. ad credulitatem deflecti potest.

** Nunquam fuit vere, per se notæ malignæ, sed tantum per accidens, mala topicorum & euporisticorum applicatione ac turbulentia Empiricorum cura, quod per plus quam centes exempla illustrari possit, si necesse esset.

in eadem patriæ parte, quæ inferior vocatur, primum
sæviens, ab infectis, ab initio mali ita occultabatur, ut ne
propinquui quidem, eosdem prius ægrotare persentisce-
rent; quam eos atrocissime jugulatos scirent, dum cam-
panarum strepitus a multo mane ad seram usque vespe-
ram exauditus, ingentem denunciatet stragem. Exinde
malum hoc a domo ad domum per totum patriæ tractum
inferiorem, ad templum usque serpit, ubi scilicet nebula
per rura, sylvasque ingressa erat, reliqua pagi parte, sal-
va manente, sine ætatis sexusque discrimine, illos eriam,
qui nullos in diæta errores, commiserant, juxta & puer-
peras, recens natos adorit. Quosdam in principio,
lente postea ceu fulmine tactos afficiebat impetuose, cum
insigni præcordiorum anxietate, cardialgia, ventris infla-
tione totius, torminibus, nuchæ æque ac capitis dolore
exquisito, frigore, partium refrigeratione extremarum,
cumque febri ardente, siti intolerabili, appetitu deperdi-
to, nausea, vomitu, suppressione urinæ, urina quandoque
cruenta, singultu, & ad finem tendente malo, cum angina
atque pustulis nigris, sub lingua & faucibus, excremento-
rum fecundorum nigrorum & viridium purulentorum, nec
non fibrillarum & pellicularum, ab intestinis exesis, abra-
sarum, sanguinis dejectione. Alios atroci cum tenesmo,
ingenti alvi constipatione variis spasmorum generibus
ipsis tandem convulsionibns, corripit, eosdem infectos,
unius vel alterius diei spatio, summa macie conficit. In
tanta rerum acerbitate, quid consilii capiant incolæ, alias
pusillanimi & conterrani plane ignorant. Configuant
ad empiricos, qualibus præ cœteris* binis textoribus, vici-
nia

* Quis non videt, quod sub hac allusione, defumta a nomine
Nnus

nia superbit; alii pulverem antidisentericum * Klepperbeinianum, de quo infra pluribus agam, in usum vocant.

Alii euporiristis ita dictis & inter eadem lacte calido crocato, quod unus ex Medicis Dresdensibus, maxime commendat, abutuntur; sed omnibus absque effectu exoptato, potius cum detimento adhibitis. Quid igitur mirum, si ob eorum inconvenientiam, perierint. Alii rejectis omnibus medicis, medicamentisque misere cruciati, misere perire cogebantur. Alii in auxilium tunc demum vocatis medicis, cum omnia conclamata essent,

B 2 mor-

unius & statu alterius, qui est professione Textor, inest plus ingenii quam judicii, & quoniam sacra litera interdicunt hujusmodi farinae hominibus, respondere ad eorum technas, hinc animo supersedeo tranquillo.

* hic & in §. 26. alleg. Diss. exquisitum antea §. 18. laudatum judicium, auctoris hujus Casus, maxime prælueret: ubi ex crassa sensuum exploratione, Pulverem antidisentericum Klepperbeinianum atro notat carbone; tum tamen Physica experimentalis, exquisitiora suppeditat adminicula, ne animus frivole taxandi incitetur. Et quoniam autor compositionis hujus pulveris adhuc est in vivis, derelingo ei defensionem. Ingenue autem confiteor, hunc mihi semper voto respondisse, eti eum non simpliciter, sed secundum exquisitam indicantium rationem, largiori simplicium atque compositarum additamento, adhibuerim.

Ejusdem indolis cum præcedenti est etiam §. 27. alleg. Diss. sinistra Hallensium Medicamentorum taxatio; propterea, secundum canonem metaphysicum; Effectus testatur de causa: concludo, Medicamenta, quæ per dimidium fere seculi, nunquam ab eorum virtute recesserant, (nisi corrupta & dolosa imitatione nequitiose adulterata & circumducta fuerint) hujusmodi haud indigere taxatore & minus benigno censore.

mortis acerbitatem experiri tenebantur. Sic factum ut intra quoddam temporis spatum satis breve, tertio plerumque vel quarto * post invasionem die, morbo non decimum quartum transgrediente, vel centrum funera, numerarentur. Qui meæ, sese tradiderunt manui, plerumque in integrum restituti, optime & nunc valent, quamquam alios, & ipsorum culpa, & morbus ad summum proiectus, sustulerit.

Hactenus Autoris hujus Casus verba.

Continuatio Casus.

Quamvis ex ante relatis, satis cognitum atque perspectum sit, Dysenteriam, præterito anno, viciniam Lusatiae, devastantem, non per se, sed per accidens, mala topicorum & euporisticorum applicatione & tumultuaria empiricorum cura, malignam fuisse; sequentibus tamen exemplis, exquisito, sub praxeos medicæ scrutinio, expertis, illustrare denuo operam navabo. Cum jam lues adjacentia vicinia loca, Lusatiae superioris, pervasisset, & præcipue in locis declivioribus, circa fluvium pagi Breitnigii & Hauswaldæ, novemdecim hominum fere edidisset cædes, & plus, quam quadraginta hominum corpora, sceda lacerata essent strage: tunc ab horum pagorum, domino hæreditario, Illustrissimo Domino S.R.I. Comite ab GERSDORFF, circa finem mensis Augusti, demandatum est mihi, ut horum afflictorum haberem curam atque convenientem.

* spatum temporis, non erat tam breve, ut morbus, decimum quartum vel vigesimum primum transgrediens diem, in febrem lentam non abierit, nisi turbulenta empiricorum cura præscinderetur, quod sequentia exempla sub continuatione Casus magis magisque illustrare possunt.

venientibus succurrerem medicamentis, quam ob causam
quoque pulvis antidysentericus Klepperbeinianus meæ
commissus fidei, præcautiori ac circumspectiori sub exhi-
bitione, mihi fuit traditus, quem semper largiori simpli-
cium arque compositorum additamento, adhibui non in-
vita Minerva; Mirum certe est, quod ex quadraginta
hoc malo affectis, remotis prius noxiis empiricorum me-
dicamentis, non plus, quam tres, vel quatuor occubuerint,
quorum una laborans simul Malo hysterico determinato,
sub febre lenta, duo, qui methodum neglexerint præscri-
ptam, & quartus, cuius res, sub diaphragmatis inflamma-
tione, jam erat conclamata: ceteri omnes adhuc inco-
lumes, Deo ter optimo maximo laudes, gratesque agunt
amplas. Præterea viginti, Dysenteria vel cum, vel sine
febre catarrhale laborantes, quibus confessum ab initio,
congrua adhibebantur remedia, quarto, septimo aut deci-
mo quarto die, sine diris istis, antea recensitis, sympto-
matibus, exoptatissimam reperiebant opem. Reformido
dicere, quod plusquam sexcenties hue infectorum, nostra
in vicinia, plerumque insanæ empiricorum cura, miseri-
me perierint. En! remedia inexperta atque suspecta
istorum insaniorum, quorum duo tantum, ex tam multis
exemplis, quæ mihi, fideli sub mandati prosequio, occur-
rerunt, communicabo.

Unus erat rusticus Breitnigenfis, quinquagenarius,
nomine Martinus Hauffius, quem inveniebam, undecimo
die, febri laborare ardente, siti intolerabili, virium pro-
stratione totali, singultu continuo, & creberrima excre-
mentorum scætidorum, purulentorumque, dejectione, ob
internam præcipue diaphragmatis inflammationem, statu
sub conclamato.

Cum perspicerem medicamenta, reprehendebam
 unciis duabus, olei Cumini in vitro, ex quo, quaternis ho-
 ris, triginta guttis, & uncia una Spiritus vini cum Essentia
 Castorei, colorati, in vitro, ex quo, gutterum quadragin-
 ta, singulo quaternarum interstitio, porrigeantur, quæ,
 secundum adstantium relationem, exhibuerat, empiricus
 Pulsnicensis, nomine Wobischius, professione textorum.
 Talpæ cœcior esset ille, qui sibi persuaderet, hominem, artis
 medicæ & chirurgicæ plane ignarum, posse vere, quid
 in arte, præstare: Fucus inde est petendus: in arte chi-
 rurgica pleraque, in medica autem quædam, naturæ de-
 pendere beneficio. Si ejusmodi fortis homines autem
 quotidie, omnia, ex furiosa adgrediantur temeritate;
 tunc exercitato medico haud erit difficile, annuatim, vi-
 ginta vel triginta annotare Casus censura dignos. Alter
 erat Juvenis, cui nomen est Bodius, quem sub valde ex-
 cerbata febre catarrhali, strictiori cute, insigni præcordio-
 rum anxietate, exquisito capitis dolore, atque crebra ex-
 crementorum purulentorum, dejectione, magno in vitæ
 periculo, versari, cognoscetam. Cum inspicerem medi-
 camenta, drachma una, olei absynthii, in vitro, guttis tri-
 ginta, singulis sex horis, cum valde adstringente Mixtura
 ex Essentia fuliginis ac oleo Vitioli, mixta, in vitro, gut-
 tis quadraginta, medio interstitio, sumendis, reprehende-
 bam. Repositis hic medicamentis, substitui temperata
 febrilia cum involventibus & materiam acrem corrigenti-
 bus, altero die, omnia inveniebam mitiora & sequebatur
 eum plenaria post decimum quartum diem, restitutio.

De reliquo, quum legibus Facultatis medicæ sit san-
 citum, ut Candidati Medicinæ, lauream, ambientes, Speci-
 men

cimen aliquod practicum in vulgus edant, nihil verosimilium, quam Thēma, ante recensito Casui, oppositum eligere, mihi visum est. Faxit divina benignitas, ut hoc meum specimen, in numinis gloriam & decubentium salutem vergat.

§. I.

Cum perplurimi, antiquorum atque recentiorum *Theoretici & Practici*, hac de materia, magno scripserint studio; hinc supervacaneum esse mihi *vinalis interdetur*, multum, de nomine, *Synonymia ac Homonymia missio*. *Dysenteriae differere*.

§. II.

Dysenteria epidemia quasi pannonica est frequens *Definitio* cruenta, summeque dolorosa alvina dejectio, vel cum, vel *realis*. fine motibus febrilibus acutioribus, ac multis diris, praecipue autem, turbulenta empiricorum cura, ita auctis symptomatibus, complicata, ut norae malignitatis, haud longe abesse, videantur; inchoans insolito tempore nimirum mense Aprili, a frequenti & subitanea aeris atmosphærae mutatione, continuabat sex sequentibus mensibus, prout nempe, quotidie, dies redderentur fervidiores & exciperentur ab noctibus frigidioribus; nec ullam respiciebat ætatem, & ne quidem infantibus in cunis, multo minus decrepitis parcebat.

§. III.

Sedes hujus mali, secundaria, in massa humorum, ex *Subjectum* tardiori ac celeriori transpirationis prohibitæ vitio, de-*infectionis*, pravata, est querenda; primaria autem, in substantia celulosa, tenuium ac crassorum intestinorum, cumulatim, vasis subtilissimis sanguiferis, repleta, ad quod tandem, valde

acre

acre accedit miasma, ab spumescenis ac fervescentis bilis, effusione, intra canalem intestinorum.

§. IV.

*Differen-
tia*

Differt 1) a Dysenteria vulgari alba & cruenta, ratione causarum, temporis, & modi invasionis, 2) a Dysenteria vere pannonica intuitu symptomatum exacerbatorum, ut causa idiopathica ab sympathica 3) ab haemorrhoidibus, ubi sanguis purus ante, vel simul cum fecum ex-clusione excernitur, & quo relative plus sanguinis egeritur, eo majores capit commodum æger, quod e contrario in dysenteria quasi pannonica, triste reliquit symptomatum, syndromen; deinde haemorrhoides, stata communiter obseruant tempora, sive menstrua, sive æquinoctialia sive anniversaria; dysenteria autem quasi pannonica, insolito tempore, ob identitatem causarum, diros suos inchoat adortus.

§. V.

*Causa re-
mota.*

Est materia acris valde subtilissima, ex humorum massa, instar incrementi, in intestinorum canalem, rejecta, quæ cum bile spumescente, & effervescente excrementitia, subacre constituit fermentum, quod prius tunicam intestinorum villosam, & intra substantiam cellulosa, vas a sanguinis latentia, abradendo; deinde nerveam & carneam, erodendo, ita vellicat, ut tandem sanguis sive purus, sive purulenta mixtus materia, imo carunculae & villi carnosí dejiciantur.

§. VI.

*Causa an-
tecedentes
in genere,*

Frequentes frigoris ac aestus vicissitudines, medio mensis Aprilis, Maji; deinde quotidie exaucti caloris gradus, sequentibus mensibus, continuo sub Euronothi flatu, fervi.

fervidissimam progenuerunt æstatem, qua calor cum subtilissima regnabit humiditate, quæ elaterem aeris & atmosphæræ ita imminuerit, ut variæ exinde in corpore vivo mutationes existere potuerint. Quo altius enim humidæ, tempore fervidiori, elevantur particulæ, eo frigidiora perambulant loca, & recedunt plerumque post so-
lis occasum, atque perfrigidas reddunt noctes. Sicuti enim locis in declivioribus & præcipue circa flumina ab radiis solis fervidis, maxima, particularum humidarum existit resolutio: ita etiam sole decadente, ibidem citior, particularum exaltarum observatur reactio & consequen-
ter major frigoris gradus, qui has circumdat regiones.

§. VII.

Quod pori cutis extus & intus pateant, id experi- Modus in-
mentum ex hydraulicis desumtum, docet; ubi tubus ca-pasianis
pillaris, usque ad summam extremitatem, impleri nequit, generalis
nisi parulum habeat exitum. Arteriolæ, quo remotiores
a Centro ad peripheriam ascendunt, eo angustior diamet-
er ipsarum evadit, usque nulos sanguinis globulos trans-
mittere valet; tunc reflectunt in venas, quæ ad summam
cutis extremitatem, & ductus excretorios, glandularum
subcutanearum, miliarium Stenonis & Malpighii vasa ad-
mittunt & reducunt in sanguinem. Frequentes & subi-
specialis
traneæ caloris & frigoris vicissitudines, commotos & cir-
cumactos humores a centro ad peripheriam & vice ver-
sa appulerunt, cum continuus ac perlonginquus Euronon-
thi, subtili humiditate circumdatus flarus, adauxisset calo-
rem aerisque imminuisset elaterem. Imminuto aurem
aeris externi elatere, aeris interni elater in sanguine ac hu-
moribus, majus capit expandendi incrementum, quod ex-

C

peri-

perimentum sub antlia, quam vocant pneumaticam, cum vesica madida institutum, docet; quanto major est elateris interni expansio, tanto gravior est cordis compressio; hinc fortior ac celerior redditur cordis motus, atque humores resolventes, crebriori rarefiunt circumstitione; quo longior durat expansio, eo major vasorum tunicae extenduntur ac nervorum partes, a suo relaxantur tono: exinde enervatio, & major humorum impurorum, retentio indeque noxia existit depravatio.

*Specialiss.
me.*

Quoniam autem circa medium ac finem mensis Iunii, perplurimi hominum, ferventissimo sub solis ardore, fœnicio aut aliis operariis laboribus, manum admoveentes, progressivum sanguinis humorumque cursum ita adaugebant, ut maximæ exinde existerent humorum resolutiones, quos natura, perpetuo ad peripheriam tanquam locum, his salino-sulphureis particulis congruum amandare, & per illum evacuare solet: circa vesperam autem, qua, membra madida ac defessa, locis in declivioribus, circa flumina, aura paululum frigidiori clementiorique, recreare student, repentina harum summe pernicioſarum particularum fiunt repressiones, ac pororum cutis occlusiones: unde facile universa humorum massa, corrupti atque depravari potest, nisi haec repressæ atque rejectæ noxiæ impuritates, mature e corpore proscribantur, quæ deinde pro indole sua, reliquis adhuc in sanguine existentibus biliosis ac salinis recrementitiis particulis, sece insinuare solent, ac per hasce denique accessiones, ita in majorem exaltantur acredinem, ut a statu suo naturali longius recedant.

Illustratio

Si capsulam Glissonii, biliaris vasis abundantem, cum

cum cystide fellea, ob spasticam hujus fermenti excita- ab Observ.
tam constrictiōnem, a liquore suo exhaustum, Lancisius tione.
& Pontius invenerunt: quid porro acciderit, si bilis spu- Applicatio
mescens ac fērvescens per ductum cholodochum ad in-
testinum duodenum deducatur, & cum aliis accedentibus
rebus fermentescibilis, & praeципue ibidem cum ma-
jori miasmati fermentatiui copia, a turbulentā empiri-
corum cura, cumulata, commisceatur, non potest non
subtilem illam producere fermentationem, quae constri-
ctionem spasmodicam torminosam, in intestinorum ca-
nali excitare, febrem malignam & affectum nostrum pro-
gignere valet exacerbatum.

§. VIII.

Etsi quidem timorem ac metum, formidine p̄- Cause ad-
fensis mali, non nihil ad hoc malum propagandum con- juvantes
tulisse, constat; turbulentā tamen empiricorum cura spi-
rituorum, oleorum volatilium ac summe adstringenti-
um abusus, non ad hujus mali augmentum solum, sed
& vi aucti miasmati, si non vere, tamen quasi quid ma-
ligni produxisse, plane sum persuasus.

§. IX.

Quod quandoque nebula (quae est mutatio in va- Refutatio.
pores humidos aere calidiori, in terra haec tenus dentento Causa mi-
& transpirante, extremitate sua, aërem atmosphæri- nus proba-
cum super incumbentem, contingente, ab ejusque ad- bilitis de
eo frigore, in vapores condensat) miasma acre atque Nebula.
summe halitusosum malignum in se involvere atque re-
condere posse, non est experientiæ contrarium.

Ast miasma acre, est 1) vel Sal acre causticum inse-
ctorum, locis in paludinosis degentium, atque in putredi-

nem abeuntium, evaporatione atque in aëre detento, valde exaltatum. vid. LANCIS. *Traet. de noxiis paludum effluviis.*

Sed nostra planities, montibus circumdata, cælo fruitur ameno & siccо atque aqua fluvialи ex undis, a fonte claro ac puro, ab ejusmodi insectorum generibus ac locis paludosis, est immunis; hinc sponte cadit applicatio; Vel 2) est summe halituosum malignum, Salis volatile corporum brutorum ac hominum, in putredinem abeuntium. Vere hoc adfirmare, aut autor Casus, non aliter esset, ac Magistratum politicum incusare negligentiae, quod absit a me, sed plane sum persuasus, eum, eandem diligentiam atque curam, ex principiis deductam, physicis, adhibuisse, quae adhuc multis ab annis, exoptatissimo, fuit applicata, eventu: ubi demortuorum corpora non solum profunde in terram humantur, multis saepe in unam fossam magnam conjectis; sed & multa calce viva cumulantur, quod ad celeriorem cadaverum consumtionem facit, circa intensos putrefactorios motus, multaque effluviorum malignorum, quibus aër contaminatur, exhalationem.

Calx enim cadavera non solum arida & salina terrestreitate sua exsiccat, integra, vel partes eorum, manus vel pedes, absymta, omni humiditate aquo-oleosa, & salino volatile, abs quibus facile putrefactio suscitatur; sed & consumit, vi salis caustici, carnes, ad ossa usque, quae integra auferri possunt siccissima.

Clades Kesseldorfiana incidebat, in tempestate in perfrigidam, ubi sine dubio, extremæ corporum demortuorum partes, inalgescebant, internæ autem vi intolerabilis frigoris facile exsiccati, & ab omni pernoxia humili.

humiditate , calcis vivæ adjectione , liberari poterant , unde nihil maligni exinde metuendum ; neque minus , ab inhumatione corporum brutorum in nostra vicinia , quæ dudum , circumvoluto jam anno , in plenariam abi- erant consumptionem ; neque a planicie nostra , quæ medio , & sub radicibus montium , spatiofa , procumbit ac undique , ab omnibus mundi plagis , diverso vento- rum statu , quotidie , novam expectat depurationem .

Hinc denū sponte cadit applicatio , & asserto nostro probabiliōri , de celeri & subitanea aeris & ath- mosphæræ mutatione , major affulget veritas ; dum e contrario alterum de nebula , ceu minus probabile , de- fertum , interea in medio relinquitur .

§. X.

Quemadmodum circa sexaginta , in continuatione *Prognosis* Casus , recensita subjecta , plusquam centies fuerunt , qui *generalis* , fidei meae , hac sub lue , salutem eorum mandarunt , & qui confessim ab initio , congrua medicamentorum ap- plicatione , fucre provisi , sine tristi symptomatum syn- drome , exoptatam facile invenerunt opem : ita nullum relinquitur mihi dubium , quin concludam , luem præ- dictam non per se , sed per accidens , tumultuaria em- piricorum cura , si non vere , tamen quasi aliquid mali- gni produxisse .

Si enim sub cutis tensione & aucto febris spasmo , *Specialis* , Spirituosa & olea volatilia propinantur , malignitas du- plici progigni potest modo , 1) aucto sanguinis circulo , particulæ oleofæ sulphureæ impuræ , rapidiori circum- aguntur cursu , & majorem acquirunt subtilitatem ac vo- latilisatiouem , ab indole atque natura malignitatis haud

longe remotam 2) tensio cutis, si destituitur relaxatio-
ne, poros cutis occludit, ac impurorum humorum im-
pedit transpirationem ac saluberrimam sub febri, dia-
pnoen ac diaphoresin; exinde haec depravatae humo-
rum impuritates demandantur intestinorum canali, ubi,
cum miasmate jam inclusa, adaugent vim acrem corro-
sivam, & majus excitant incendium. Adstringentium
& opiatorum inopportunus aut incongruus usus, aut
plane abusus, quorum prior, acrioribus, atque perni-
ciofis humoribus, ad inferiora occludit exitum, & ad
superiora longe nobiliora revehit loca; alter sulphure
suo halituso expansivo, humoribus jamjam expansis,
majorem addit expandendi vim, ac efficaciam, tonicum-
que magis magisque debilitat motum. Exinde omnia
præcedenti in Casu, recensita symptomata deduci possunt.

*Specialissi-
ma.*

De reliquo, et si quidem dysenteria in genere, o-
mnibus subjectis sensibilioribus ac junioribus, plus sem-
per periculi portendar, quam robustioribus atque adnl-
tis: ramen etiam, hac ab lue, senes cum infantibus, ad-
ulti cum robustioribus, gravius fuere affecti.

§. XI.

Curatio in Quod vera causarum indagatio, prius præcede-
genere, re debeat, quam possit præcipue proxima tolli causâ at-
que feliciter morbus curari, nemo in dubium vocabit.
Et quoniam hac in lue, subjecta in tres, dispisci debent
classes, quarum una Dysenteriam sine febre, altera cum
febre catarrhalis complicatam & tertia Dysenteriam cor-
ruptam ac turbulenta empiricorum cura, exacerbatam,
constituit: Hostis autem epidemicis in morbis, non in
primis viis solum; sed in tota sanguinis atque humo-
rum

rum massa, later: hinc ergo non tam facile ac blande
 & ejici ac proscri potest. Quemadmodum
 autem præ reliquis, pori cutis occlusi, occasionem ad
 existentiam causæ dederunt: ita præ omnibus, eorum
 apertura est præceleranda; deinde morbus corruptus a
 qualitatibus corruptelæ liberari, & ut ordinarius postea
 tractari debet; hinc confestim pernoxia removenda sunt
 medicamenta, & materia corruptens specifica, nimirum
 subtilissima illa fermentaria, convenienti sue ipsius spe-
 ciei modo est corrigenda, ac consuerit eliminanda locis:
 Denique consilio ex præceptis desumto, diæticis, &
 groto est succurrendum ut 1) omni studio, refrigeratio-
 nem ac coactum caveat calorem, ne nimius ad intestina
 conversus humorum adfluxus impediatur, blande versus
 peripheriam motus humorum revocari debet; 2) potus sit
 temperatus & ab omni fomentatione alienus, loco cere-
 visiae autem decoctum aliquod hordeaceum gelatinosum
 tepide exhibeat, interdum cum vitello jovi mixtum.

§. XII.

Ex chirurgiæ fonte hauriuntur per pauca, præter 2) chirur-
 Clysteres, quibus motus ad tenesimum tendentes, refre-
 gandi, quorum promiscuus laudatur usus, 1) ex gelati-
 nosis Rasura Cornu cervi, Eboris, pedum vitulinorum,
 succi cancerorum fluiatilium. 2) Ex mucilaginosis Ra-
 dice Althææ, Herbis Malvæ, Brancæ ursinæ, Floribus
 Melilotti, Verbasci, Chamomillæ vulgaris, Seminibus Fœ-
 nu græci, Lini, Oleo Olivarum cum Therebinthina Vene-
 ra in vitello ovi soluta.

Externe quoque Cataplasmata in regione maxime
 affecta, ex frusto panis, aqua reginæ hungaricæ, acero de-
 stilla.

stillato, oleo Menthae, Caryophillorum, Nucistae, confecta, deinde ad apthas cohibendas, ex Semine Lini cum juglandibus quercinis contritis, contusione paratur oleum adstringens, quod seculo tempore ac modo adhibendum.

§. XIII.

3) pharmaceutico Progredior ad forum pharmaceuticum, ubi largiores apponi potuissent dapes, nisi scopus praefixus arctiores nobis posuisset limites; & quoniam jam in precedentibus paragraphis est præmonitum: miasma halitusum malignum, morbis in epidemicis, non in primis viis tantum, sed in tota sanguinis atque humorum mastæ hærente: hinc prius illud est involvendum per alterantia gelatinosa, & humorum acrimonian temperantia mucilaginosa, interpositis leainter alexipharmacis, ad quem scopum obtainendum, adhibui pulverem antidyfentericum Klepperbeitanum vel pulverem Corticis Castarilla, cum duabus partibus additamenta lapidum cancerorum, Cornucervi philosophice preparati, Concharum cum aceto Citori preparatarum, antimonii diaphoretici cum uno vel semiili grano mastæ pilularum de Cynoglossa & Speciebus præparatis de Hyacintho; interdum B.Bronneri arcuum ex contostis hordeis & vitello ovi, pulverisato, ad miasma involvendum halitusum ac bilis desectum institendum, adfecit. Deinde loca cutis excretoria, leni linteaminis subcalidi frictione, aperienda curavi, ut seri acrioris, ab intellinorurn canale, affluxus, aquocet & ad superficie corporis excretoria invitetur loca; Procedentem pulverem alterantem sub vehiculo potiuncula temperate mucilaginosa, cum guttis viginti Essentiæ alexipharmacæ temperata Stahlii, singulis binis aut ternis horis, porrigitum, nec intermisso Decocto hordeaceo tepide sepe exhibendum tradidi. Tandem, alternis diebus, tempore remissiori, evacuans, vel granorum quindecim pilularum Becheri balsamicarum correctarum, vel pulverem antidyfentericum laxativum rhabarbarinum propinavi. Denique cessante febre cum dysenteria Mixturam ex liquore anodyno minerali Hoffmanni, & Essentia Aurantiorum, guttis viginti quatuor, quaternis horis, dedi & cum Mixtura tonica Stahlii, usque vires refractæ, ope divina, fuere restauratae, continuavi.

§. XIV.

Conclusio: Ceterum, quemadmodum rationalis medicus, summum iudicium in sellendis & prudenter, applicandis medicamentis omnibus adhibere debet: ita in specie, utrumque, circa hunc nostrum affectum exacerbatum, requiretur; quid? per haec pauca, precedentia in paragrapho, denominata medicamina, divina gratia sit prestitum, ex antecedentibus satis constat. In his autem, ne prolixitatem metuam tadiosam, subsistero volui. DEO T. O. M., desitas persolvō grates, pro concessis, ad hunc laborem viribus, cui etiam perpetua sit laus, honor & gloria.

F I N I S.

00 A 6999



sb



DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA
THEORETICO - PRACTICA,
DE
DYSENTERIA
EPIDEMIA QUASI PANNONICA,
TURBULENTA EMPIRICORUM CURA, FERE CON-
TAGIOSA ET MALIGNA, SUPERIORI ANNO
VICINA DEVASTANTE LOCA,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P RÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, etc.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Preceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo

PRO LICENTIA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
ANNO MDCCXLVII. D. DECEMBR.

HORIS LOCOQUE CONSVETIS
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR
CHRISTOPHORUS WEBERUS,
BISCHOFFSW. MISN. MED. PRACT. PULSNIZ.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

